



Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici
hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent,
vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

Stapleton, Thomas

Lvgdvni, 1595

Amplissimo, Consvlmissimoqve Viro, D. Christophoro Dasson-Villio, Consilii
secreti & status Reg. Cathol. Maiest. in Belgio Senatori prudentissimo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39463



A M P L I S S I M O,
C O N S U L T I S S I M O Q V E
V I R O, D. C H R I S T O P H O R O
D A S S O N - V I L L I O, C O N S I L I I
secreti & status Reg. Cathol.
Maiest. in Belgio Senatori
prudentissimo.

C I T V M illud & perelegans (amplissime Domine) nobilissimi & integerrimi Senatoris Qu. Catuli responsum perhibetur, qui cum in Senatu Romano Philippū quendam corruptissimū iudicem multis & grauissimis verbis increpasset, exclamante tandem Philippo, *Quid latras Catule?* appositi respondit: *Quia video furem.* Quod eius responsum, si quis forte exclamat orthodoxæ & sacrosanctæ fidei nostræ corruptor pestilens, dum ut iam pri dem ante annos multos contra nostri temporis corruptissimos hæreticos varia in lucem dedi monimenta, ita nunc aduersus eosdem alia procudere non desino; vocifereturque, *Quid adeò hic usque latrat Stapletonus?* usurpare me oportet, ac dicere, *Quia video fures.* Quia video homines, qui non intrantes per ostium, sed ascendentes aliunde in *Iohann. 10.*

E P I S T O L A

ouile Ch̄isti, fures ac latrones sunt, maclant, & per-
dunt gregem Dominicum. Quia video & dolens vi-
deo innumerous pseudoprophetas, robustos anima-
Jerem. 23. rum pr̄dones, qui (vt Propheta tales describit)
furantur verba Dei vnumquisque à proximo suo. Cla-
mant apud vnumquemque: Hæc dicit Dominus,
Verbum Domini, Verbum Domini. Interim non Dei
verbum, sed sua somnia narrant: sua commenta
obtrudunt: sua nefaria venenia propinant: suas Di-
uini Verbi corruptelas pro Dei verbo venditant.
Quia denique video in agro Dominico grassari, ra-
pere, pr̄datari, qui eius agri nec possessores, nec co-
loni, nec inquilini sunt; sed ab omni eius posse-
sione, cultura, tractatione summo & clarissimo iure
alieni, abdicati, extorres haberí debent. Contra quos
antiqissimi Tertulliani verbis ita latrare cogor:
De pra-
script. ha-
ret. c. 37. Homines non Christiani, sed sectarij & hæretici, Chri-
stianarum literarum ius nullum capit. Qui estis?
quando & vnde venistis? Quid in meo agitis non mei?
Quo iure, Marcion, siluam meam cædis? qua licentia,
Valentine, fontes meos transuertis? qua potestate,
Apelles, limites meos commoues? Mea est possessio, olim
possi teo, prior possideo. Quid hic cæteri ad voluntatem
vestram seminatis & pascitis? Eadem prorsus voce
ad nouos hodie agti Dominicci inuasores, Diuinarum
Scripturarum corruptores, Lutherum, Cinglium, Caluinum, exclamare nos licet. Prædonum
& latronum more Christianas literas, quin Chri-
stiani non sint, nec eorum nomine iuxta Christia-
Lib. 6. ca.
de heret. norum Imperatorum leges vt debeat, inuadunt;
siluam Dominicain cædunt; fontes Diuinos trans-
uertunt; limites sacros commouent. Vident haud
dubie hanc prædatoriam hæreticorum hodie licen-
tiam

DEDICATORIA.

tiam alij quām plurimi. Vident, deplorant, tacent,
Sed ego ad huius agri ac vineæ Dominicæ veluti
custodiam positus, Diuinorum Scripturarum in Ca-
thedra Academica professor & pertraetator consti-
tutus, sic vidi & ingemui, vt tacere nequeam, imò
nec debeam; Propheticum illud meritò reformi-
dans: *Omnes bestiæ agri venite ad deuorandum, vni-
uersæ bestiæ saltus.* Sed quare? Causa subiicitur: *Spe-
culatores eius cæci omnes, nescierunt vniuersi, canes
muti, non valentes latrare.* Venerunt certè ad deuo-
randum, irruerunt ad prædandum multæ bestiæ
agri, multæ bestiæ saltus, lupi rapaces, feræ indo-
mitæ, pecora campi; homines ad seducendas ani-
mas attenti, vigilantes, feroce; homines Ecclesia-
sticæ vnitatis, obedientiæ, & disciplinæ, nec vincu-
lum, nec iugum, nec normam sustinentes; homines
animales, carni & ventri placentia loquentes: deni-
que, vt Apostolus eos describit, *homines seipso* ^{z. Tim. 3.}
*amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemii, parentibus
non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine
pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benigni-
tate, proterui, tumidi, voluptatum amatores magis
quām Dei.* Tales bestiæ agri venerunt: sed quia sub
specie & in vestimentis ouium, Apostolus addit;
*Speciem quidem pietatis habentes, virtutem autem
eius abnegantes:* Diuinæ quidem Scripturas cre-
pantes, Verbum Dei in ore habentes, Euangeliū
resonantes, sed Diuinorum Scripturarū, Verbi Dei,
& Euangelij virtutem abnegantes, vim ac sensum
genuinum inuertentes, dolo & astutia adulterantes,
ad absurdissima quæque placita stabilienda obtorto
collo pertrahentes, imò, vt præsentibus subseruat
heresisib; ecclæo subiicientes. Porro tales bestiæ

EPISTOLA

agri eo numerosius confluerunt, eo audacius in singula perruperunt, eo plenius omnia deuorauerunt, in vniuersam penè Scripturam Diuinam pestilentibus editis coimmentariis, & in varias Christiani orbis partes transfusis; quo haec tenus pauciores extiterunt canes latrantes (penè dixeram nulli) qui huiusmodi bestias hunc in modum grassantes inuaderent, qui sacri textus pudendas & infames corruptelas ab illis editas refutare, qui Diuinissima Christi redemptoris verba, Euangelica & Apostolica scripta, in fauorem prasentium hærefum indignissimè violata, deprauata, inuersa, toxico denique hæretico vitiata, sua integrati ac puritati restituere, in animum induxerunt. Quo factum est, vt in huius celeberrimæ Scholæ specula constitutus, & ad Diuinorum Scripturarum interpretationem vocatus, contra fures ac latrones istos, Diuinique Verbi intoxicatores, altissima voce latrare, à grege Catholico omnibus viribus (quantas mihi Deus dabit) eos abarcere, pestiferas eorum corruptelas iusta refutatione (quantum in me erit) profligare, singula denique eorum venena saluberrimis sacræ paginæ verbis inspersa, singulis appositis antidotis, abstergere, abluerre, persanare, Deo propitio, decreuerim: idque per vniuersum (vt minimum) noui Testamenti instrumentum.

Quàm diu stat in acie hostis, inò rapinas ac prædas agit, qui in aduersum mittuntur belli duces complicatis manibus quiescere non debent. Totis se viribus opponunt, ac vim vi repellunt. Stat adhuc in acie hæreticus hostis, Cathedras occupat, commentarios scriptitat, Diuinæ Scripturas tam verbo quàm permanente litera contaminat, lacerat, ludibrio

DEDICATORIA.

brio exponit. Ego Diuinis Scripturis exponendis,
elucidandis, ab omni corruptela vindicandis p̄afe-
ctus, tacere debui? Nec debui, nec potui. Volumen
istud totius noui Instrumenti veluti à Deo mihi in
hac vocatione porrectum comedì, deuoraui, per-
curri, & viscera mea completa sunt illo. *Conceptum*
sermonem tenere quis poterit? Visas, compertas, pal-
paras Diuini Verbi horrendas & indignissimas cor-
ruptelas, tacere, dissimulare, intaetias relinquere,
qui potui? Sanè vni Caluino, qui veluti singularis
ferus depastus est hanc vineam Domini, & in vni-
uersum nouum Testamentum scriptis commenta-
riis maximas animarum prædas egit (contra quem
propterea nostra maximè dirigitur intentio) hoc vni-
cè in scribendo propositum fuit, quicquid pro Ca-
tholicæ religionis dogmatibus facit, diligenter con-
uellere, quicquid ad noua ipsius dogmata stabi-
lienda quo quo modo facere videri possit sedulò an-
notare, premere, explicare; quicquid denique ad
Papam, ad Episcopos, ad Monachos, ad clerum
vniuersum taxandos, traducendos, in odium per-
trahendos aliquo rādem colore per fas nefasque ap-
plicari, trahi, contorqueri potuit, illud diligentissi-
mè vrgere, inculcare, amplificare. Ego, fauente
Christo, huius Belluæ vestigiis sedulò insisto, sin-
gula accuratè perscrutor, inuestigo, persequor;
nec quicquam ab hoste maleuolo, oculato, astuto,
in fidei orthodoxæ præiudicium prolatum, tenta-
tum, tractatum pratermitto.

Huius ergo ardui & prolixii operis primas lineas,
& laboris in hoc genere nostri primitias, in quatuor
videlicet Euangelia de vita & doctrina Christi Re-
depositoris nostri, cuius prima semina in Cathedra

EPISTOLA

Theologica Reg. Cath. Maiest. iacta sunt , Amplir.
tuę (Amplissime Cōsultissimęq; Dñe) dicatas volui,
cuius imprimis operā, cōmendatione, & studio, (col-
laborante sibi in hac parte pīx ac celebris memoria
viro D. Gulielmo Pamelio, Consilij priuati Regij
in hoc Belgio sapientissimo & integerrimo Prāside)
ad hanc professionem Regiam euocatus & euectus
fui. Ne penitus eius facti pēniteat Amplitud. tuam,
primos huius professionis nostrae fructus in publi-
cum datos , sub tuo clarissimo nomine comparere
volui: vt si quid in illis sit quod vel ad Dei gloriam,
vel ad orthodoxæ fidei nostræ luculentiorem de-
fensionem , vel ad publicam studiosorum utilitatem
faciat , id totum permagna ex parte Amplitud. tuæ
benetiolæ de nobis existimationi acceptum Lecto-
res ferant. Taceo alia erga me deinceps cumulata
beneficia , amoris constantiam , in conditione mea
ornanda & augenda singularem diligentiam , in
causis à me commendatis fauorem ac propensionem
semper eximiam. Et quidem recentibus beneficiis
gratiam non habere , stupidi & ingrati est: Vbi illis
potitus fueris ; ea sine honore praterire , etiam astu-
ti. Vtramque hanc notam vt effugere in , quæ prima
se obtulit tam animi grati testimonium quam ali-
quarū honoris speciem deserendi occasio , ea vt mihi
elaberetur , committere nolui. Portò erga Reg.
Catholic. Majestatē ea semper optimi Senatoris fi-
des , in dubiis temporibus constantia , in aduersis
perferendis animi fortitudo , in malis superandis
prudentia , in Amplit. V. persona ita semper eluxit ,
ita toti Belgio ab annis quam plurimis innotuit : vt
ab omnibus suæ Maiestat. deuotis ac Belgicæ inco-
lumentatis studiosis Amplitudo vestra meritò dili-
gatur,

DEDICATORIA.

gatur, magnoque in honore habeatur. Taceo frequentes & amplissimas legationes, quibus apud exteris quoque nationes tam ultra Oceanum quam trans Rhenum nominis vestri celebritas inclaruit. Sanè haec Academia Louaniensis Amplitudinis vestre admirabilem propensionem, benevolentiam, studium toties & tam insigniter experra est, ita in omni politiori literatura eadem exulta est, ita demum pietate in Deum, charitate in proximum flagrat, ut nemo Academicus, literatus, pius, eam vicissim singulati non debeat tum amore complecti, tum honore prosequi. Sunt haec & alia permulta quae nec dicere est opus, nec à me sic dici possunt quemadmodum dici debent, quibus meritò permotus ac stimulatus, Amplitudini V. hoc opus nostrum Euangelicum donare volui, opus, vti spero, orthodoxis lectoribus non inutile, certè ad hæreticorum perfidiam patefaciendam necessarium. Quod & eo gratius Amplitudini V. futurum non dubito, quo auitæ, orthodoxæ, Catholicæ & Apostolica fidei tenacissimam eam esse certius cognosco. Quanquam & quod ab eo quem amas proficiscitur, aliquam apud te gratiam reportabit. Tua enim prudentia, tua pietas illa est, vt Tros Rutulisque illi nullo discrimine habeatur: nec ideò minus gratum munus sit quod ab homine Anglo prodeat, quando eo videatur acceptius, quo pauciores illa nunc gens habet orthodoxæ fidei cultores, ne dicam defensores. Accipe igitur, vir Amplissime, & animo grato complectere qualcumque istud animi grati, obsequij debiti, obseruantiae & officij nostri testimonium, & futurum

E P I S T O L A

apud posteros diuturnum, ut spero, monumentum.
Ut diu ac feliciter huic Belgio viuat ac floreat Ampl
V. Deum precor & precabor. Vale.

Louanij, Cal. Febr. 1595.

Amplissimæ Dom. tuæ
humilis seruitor

Thomas Stapletonus.